

B
1095

177

4

U. g. 17, 5

DE
SUCCESSIONE
FEUDALI
Disputatio,

Quam

D. O. M. A.
In Celeberrima Academia Wittebergense

SUB PRÆSIDIO

Viri Clarissimi & Consultissimi

HELFRICI-ULRICI HUNNII J. U. DOCTO-
ris, & designati in inclyta Academia Gief-
senfi Professoris publ. & Ordinar.

*Exercitii publici gratiâ ventilandam
proponit*

BERNHARDUS REINECCIUS
SCHERMBECCENSIS.

In Auditorio Ictorum A. D. XI. Februar. horis matutinis.



VVITTEBERGÆ,

Ex Officina Typographica VVolfgangi Meisneri.

ANNOM. DC. XIV.

26

25



Patribus Patriæ,

Reverendis. Nobilib. maximè-Strenuis & Magnificentiss. Viris-Dominis,

Matthiæ ab Oppen , Decano & Portanario in Cathedrali, & ad D. Bonifacium Præposito.	Idel Johan ab Holla.
Joachim - Johan - Georg à Schulenburg, Seniori ac Cellerario.	Arnoldo Spigel in Pickelsheim.
Ernesto ab Arnstedt Subse- niori.	Ernesto ab Hopkorff, The- saurario,
Joachim-Ernesto à Bieren, ad D. Paulum Præposito.	Johan-Levin à Benigsem V Valbeccæ ad D. Pancra- tium Præposito.
Caspari Wrampen.	Henningo à Steinberg
Ludovico à Lochou Schola- stic. & ad B. V. Mar. Præpos.	Henrico à Lochou.
Abrahamo à Rintorff.	Lippoldo à Rossing.
Joachimo à Treskou.	Johan-Alberto ab Hunigke.
	Johan-Georgio Vitzdom, ab Eckstedt.
	Joachimo ab Hunigke.

*Omnibus Ecclesiæ Cathedralis Halberstadenſis Dñn. Canonicis,
Dominis meis clementibus & perbenignis*

Hanc

De Successione in feudum Disputationem,

*Vt pro beneficiis in me collatis plurimis debitas agerem gratias, studiorum quale-
quale exhiberem specimen, eaq; ipsis porro commendarem, & Regimen denique
SEDIS (quam vocant) VACANTIÆ feliciter inchoatum & consti-
tutum gratularer*

Ex solemnibus Votorum formula L. M. Q. donavi
dedicavi Resq;



De successione Feudali

Disputatio.

THESIS. I.

Si jure civili duo sint successione generā, ex Testamento et ab Intestato *pr. Institut. de hered. quæ ab intest. defer. junct. leg. 1. ff. de suis & legitim. leg. 17. C. de collat.* Jure tamen feudali non nisi ab intestato succeditur: Nec enim, (dicente Feudista) *ordinatio ulla defuncti in Feudo valere aut manere debet tit. 8. pr. lib. 1. Feud.*

II, Quod ratione optimā æquissimāq; receptum esse videtur: siquidem de illis demum cuiq; testandi licentia conceditur, quæ ad heredem non aliunde, quàm ab ipso testatore perveniunt, *leg. si arrogator. 22. ff. de adopt. l. quia perinde. 42. & leg. si patroni 55. ff. ad S. C. Trebell. leg. sed etsi 6. §. 1. ff. de legat. 3. leg. 14. ff. ad Leg. Falcid.* At Feudum non ab ipso testatore, ultimoq; de functo, sed à primo acquirente ad heredes & successores devolvitur, *tit. 17. libr. 2. Feud.*

III, Accedit insuper quod omnis alienatio Feudi Impp. Lotharii & Friderici Constit. sit interdicta *tit. 52. & tit. 55. F. 2.* Species autem alienationis sit quoq; dispositio Testamentaria *leg. si quis prioris. §. certum. C. de secund. nupt. leg. Codicillis. §. matre. leg. peto. §. fratre. ff. de legat. 2.*

IV, Quod deniq; testatoris illa ordinatio ac dispositio meritò improbetur, quæ in tertii alicuius jus cedit præjudicium, & cum injuria alterius conjuncta est *leg. 11. l. 206 de R. I.* Ordinatio autem testamentaria super feudo tendat in præjudicium Senioris & proximorum agnatorum, ut quorum jus, quod in feudo sibi quæsitum habent, notabiliter imminuat: Quapropter usibus feudorum ordinatio defuncti in feudo rectissimè prohibita videtur.

A ¶

V. Unde

V. Vnde etiam nec dispositione generali tam inter vivos quam in ultimâ voluntate facta feudum comprehenditur, nec filius fideicommissio universalis gravatus ad feudum (nisi hereditarium sit) in quod patri successit, restitutionem tenetur *argum. d. tit. 8. lib. 1. F.*

VI. Et hæc regula nostra usque adeo vera est, ut quamvis Princeps ordinationem defuncti confirmarit, & ratam validamq; esse jussit: nihilo tamen magis in præjudicium Vasalli & proximorum Agnatorum subsistat: Cum nec summus princeps ex plenitudine potestatis suæ jus alteri quæsitum sine culpa ejus auferre aut imminuere valeat, *leg. 3. C. de rescind. vendit. leg. 5. ff. de natalib. restitut. tit. 7. & 13. libr. 1. Feud.* Nisi Reipub. postulet salus, justumq; Domino rei ablatae refundatur pretium *l. 13. §. 1. ff. comm. præd. l. 2. C. pro quib. caus. serv. pro præm.*

VII. Et quamvis alias Ecclesiæ ac piarum Causarum summus sit favor, ut cujus intuitu plurima maximâq; privilegia illis fuerunt indulta *l. 13. & 19. C. de SS. Eccles.* Non tamen Vasallo permittitur quicquam ad animæ salutem, ad pias causas, vel ad usum Ecclesiæ de Feudo relinquere *t. 9. §. donare 2. F.* Cujus rationem hanc elegantem reddit Feudista: Quod Ecclesiæ, quæ sit cultrix & auctrix justitiæ, non patiatur contra justiciam aliquid fieri in se vel in alterum *tit. 13. libr. 1. Feud.*

VIII. Non quidem desunt, qui de æquitate Canonicâ aliud dicendum existiment: Veruntamen, præterquam quod hi nullo certo nitantur fundamento, refragatur etiam ipsis haud obscure jus ipsum Canonicum, quod donationem et legatum Ecclesiæ in præjudicium filiorum relictum non subsistere, manifestè pronunciat *in cap. Filius noster. 5. Ext. de testam. cap. ult. caus. 17. q. 4.*

IX. Quid verò si Dominus feudi in ordinationem consentiat, eamq; fieri vel ab initio permittat, vel factam approbet, ratamq; habeat? adhuc idem dicendum videtur: Cum enim Dominus feudi ipsemet agnatis, quibus in feudo jus aliquod per concedentem & primum acquirentem est acquisitum, nullatenus suo facto præjudicare, aut jus ipsis acquisitum, auferre vel imminuere valeat. *arg. tit. 7. & 13. libr. 2. Feud.* Non poterit etiam Vasallo, ipsis præjudi-

judicare volenti consentire

X. Quod si tamen & ipsi *agnati* consentiant, talemq; Vasalli ordinationem admittant, communis est omnium prope F F. opinio, ordinationem subsistere oportere: siquidem cessante ratione prohibitionis, cesset ipsa prohibitio.

XI. Nec interest, agnati dominusq; feudi consenserint *expresse*, an *taute*: ut cum Vasallus presentibus & tacentibus Domino feudi & Agnatis suis, de feudo quid in ultimam voluntate disponit: Hic enim Senior & agnati in dispositionem illam consensisse intelliguntur: cum regulare sit, ut presentis actui & tacens, quem contradicendo impedire poterat, eum approbare intelligatur *l. 26. §. pen. ff. de pignor.*

XII. Quanquam æquum & humanum ipsiq; rationi juris consentaneum videatur, Consensum hunc Agnatorum ipsis solum agnatis nocere, filiis verò illorum tam natis quam nascituris, non præjudicare: quantumvis ipsi heredes sint parentum suorum. *arg. tit. 17. & 23. in fin. libr. 2. Feud.*

XIII. Prædicta porro regula non solum tunc obtinet, quando inter *extraneos* Vasallus de feudo disponit: Verum etiam cum inter eos ipsos, ad quos feudum ratione investituræ vel successione pertinet. Id quod tunc indubitate procedit, quando aliter disponit Vasallus, quam alioquin illi successuri erant. Non solum, quod omnis in genere ordinatio defuncti in feudo reprobetur *d. tit. 8.* sed etiam quod ipsis agnatis hæc ratione præjudicetur, ac jus illis questum intervertatur, aut saltèminuatur. Quod tamen fieri non oportere jam supra est dictum.

XIV. Hinc cum jure feudorum omnes filii *equaliter* succedant in feudum *tit. 8. libr. 1. F.* non potest Pater Vasallus Testamento cavere, ut inæqualiter succedant: Multò verò minus integrum ipsi erit feudum uni cæteris exclusis prælegare: aut citra ad sensum & voluntatem reliquorum uni ex illis Feudum adsignare; Quamquam quoad hoc postremum dissentiat Fr. Hotomannus *in d. tit. 8.*

XV. Quid verò si saluo & non mutato successione jure eos ipsos instituat heredes, qui aliàs successuri erant? Valere hanc dis-



positionem pleriq; existimant, ut quæ nemini omnino præjudicet, nec tertii jus lædat vel gravet. Cæterum ejusmodi ordinationem planè inutilem & supervacua esse asserere nil dubitamus.

XVI. Et quamvis Schraderus ad hoc utilem eam existimet, ut in Testamento instituti possint petere se mitti in possessionem bonorum feudaliū ex *leg. fin. C. de Edict. Div. Hadr. tollend.* Tamen beneficium illius *l. fin.* nequaquam illis competere, verissimum est, & satis superq; arguit ea ipsa *L. finalis.*

XVII. In *novo feudo* multi sunt, qui consentiente Domino feudi, ordinationem Vasalli in præjudicium liberorum procedere opinantur: Qui tamen & ipsi in varias rursus & discrepantes distrahuntur sententias. Horum variis distinctionibus missis, ejusmodi ordinationem sine liberorum consensu iadistinctè irritam esse putamus per textum in *d. tit. 8. §. 1. lib. 1. Feud.*

XVIII. Id quod etiam de Feudo *Franco* nobis dicendum videtur: Hoc enim feudum, etsi quoad hoc à recta feudorum natura degeneret, quod à servitiis liberum sit: In cæteris tamen omnibus naturam feudi retinere intelligitur, *titul. 47. in verb. licet* propriam feudi naturam non habeat, jure tamen feudi censetur. *2. F.*

XIX. De feudo tamen *hereditario*, hoc est, eà feudo, in quo jure hereditario juxta Dispositionem juris civilis succeditur, dispositionem defuncti etiam sine consensu Domini tunc valere, cum illis relinquatur feudum, ad quos aliàs perventurum esset, certi & indubitati juris est; idemque nos quoque adserendum putamus, quando extraneo illud relinquatur. Non obstantibus illis, quæ in contrarium adducit Schraderus *in tractat. feud. part. 7. cap. 2. num. 45.*

XX. Pari modo procedit Ordinatio defuncti in feudo, quod vel expressè ita ab initio datum est, ut super illo disporre possit Vasallus: Vel tacitè, quando nempe in investitura feudi dictum est, feudum concessum esse Vasallo, & cui ipse hoc dederit: Hoc quippe casu permissum intelligitur Vasallo etiam absq; consensu Domini de feudo pro lubitu disporre. *tit. 48. 2. Feud.*

De

XXI. De fructibus feudalibus similiter Vasallo potestas competit in testamento disponendi; sub hac tamen distinctione, ut de fructibus tempore mortis jam perceptis tanquam de rebus suis propriis & allodialibus liberè disponere queat. *argum. leg. 1. in princ. ff. ad Leg. Falcid. leg. in remandata. C. mandati.* Itemque de fructibus anni postremi, in quo moritur Vasallus, nondum perceptis; sed juxta dispositionem *capit. 1. §. penultim. hic finit lex*, percipiendis facultatem habeat pro lubitu & arbitrio suo statuendi & ordinandi, eosque cui voluerit relinquendi. De fructibus verò percipiendis futurorum annorum, si feudum sit ex pacto & providentia, nil omnino disponere possit. *arg. d. tit. 8. libr. 1. F.*

XXII. Super pecunia item ex feudo, consensu Domini, & quorum interest, vendito, redacta Vasallum per ultimam voluntatem disponere posse, dubium non est: cum pecunia illa in locum feudi venditi non succedat, nec feudalis efficiatur, sed rebus allodialibus annumeretur, prout verior habet FF. opinio. *argum. l. 2. C. in quib. caus. pign. l. qui vas. 49. §. fin. ff. de furt.*

XXIII. Cæterum exceptis hisce vera manet superior regula, quod de feudo nulla valeat defuncti ordinatio. *d. tit. 8.* Quæ tamen necessariò ita intelligenda est, quod dispositio de feudo non valeat, ratione ipsius feudi, sic ut feudum ipsum ex dispositione ista defuncti præstari non debeat: Valeat autem & sustineatur ratione *æstimationis* feudi: ita ut ei, cui feudum relictum est, æstimatio præstari debeat. *arg. §. non solum 4. l. de legat. l. 114. §. 5. ff. de legat. 1.*

XXIV. Regulariter itaque & ordinariè in feudum ab intestato solum succeditur: Hujus autem successionis licet jure civili tres sint gradus & ordines: 1. *Descendentium*. 2. *Ascendentium*, & 3. *Collateralium*. Vt sibi tamen feudorum *Ascendentium* nulla est successio. *tit. 50. libr. 2. Feud.*

XXV. Quod hanc rationem habere videtur, quod Vasallus accipere soleat feudum pro se & liberis sive posteris suis, *titulo 23. in fin. libr. 2. Feud.* Filiorum autem & posterorum appellatione
Ascen-

Ascendentes non veniant: Cui accedit & hoc, quod cum antiquissimo tempore in feudis nulla esset successio, *tit. 1. libr. 1. Feud.* rarius autem contingeret, filios ante parentes decedere: idcirco successione in feudis post admisa, feudum quoad Ascendentes pristinum statum omnis successione expertem retinuerit.

XXVI. Quod si tamen in investitura primaque concessione ac constitutione feudi expressè fuerit dictum, ut & ascendentes in feudum succedant: aut feudum sit hereditarium, in quo secundum modum & ordinem juris Civilis succedatur: vel statutum aut consuetudo Ascendentes quoque ad feudi successione vocet, dubium non est, quin hisce casibus Ascendentes in feudum Descendentibus succedant. Vide *Schraderum part. 7. c. 6.*

XXVII. Iisdem verò casibus, quibus Ascendentes admittuntur, si Vasallus defunctus & fratres reliquerit, placet nonnullis, patrem removeri, & à successione feudi excludi: Veruntamen contraria opinio, quod nempe Ascendentes cum defuncti fratribus simul succedant, verisimilior nobis videtur: Quæstio enim hæc in jure feudali nusquam decisa ex jure communi est decidenda, juxta præceptum Feudistæ in *tit. 1. libr. 2. F.* Jure autem civili cum fratribus defuncti concurrere ascendentes, nemo est qui dubitet, *Novell. 118. c. 2.*

XXVIII. Et hæc quidem quæ de Ascendentium successione hætenus sunt dicta, facile admittunt de novo Feudo: De Veteri verò sive antiquo feudo multi contrarium statuunt, inque illud feudum patrem regulariter succedere adserunt. Quorum tamen opinio nequaquam admittenda videtur: Non solum propterea, quod generale sit Feudistæ axioma: Ascendentes non succedere in feudum, *tit. 50. libr. 2. Feud.* Sed etiam, quod feudum paternum sive antiquum illud sit, quod à parentibus defunctis ad filios jure successione devolvitur, *tit. 11. & d. tit. 50. libr. 2. Feud.*

XXIX. Quanquam interim non inficiemur in hoc quoque feudum certis quibusdam casibus patrem succedere. Quibus tamen illum nequaquam annumerandum existimamus, quo filio feudum aliquod jure feudi antiqui datum est: Etiam si enim in hujusmodi
feudum

feudum succedant agnati ; ex eo tamen non rectè inferitur , etiam Patrem admittendum esse , prout colligit *Henric. Bocer. de Succes. feud. c. 4. q. 2.*

XXX. Exclufis igitur Ascendentibus, foli Descendentes et collaterales succedunt: fed nec illi omnes. Sunt enim, qui iuftris de caufis à feudi fucceffione removeantur ; Quocirca diftinctè utrumq; tractabimus, & quanam succedant, quiq; à feudi fucceffione excludantur, feperatim dicemus, initium faciendo à Descendentibus.

DE SVCCESIONE DESCENDENTIUM.

XXXI. In fucceffione feudali perinde, ut in civili et allodiali primus gradus & ordo eft Descendentium five liberorum ; Non quidem eà ratione, qua Iuftinianus liberis in fucceffione primum locum tribuit, quia nempe vivo patre quodammodo fint Domini: fed potius propterea, quod omne feudum fuà naturà fic datum intelligatur, ut ad accipientis heredes fpectet *tit. 23. in fin. 2. Feud.*

XXXII. Succedunt autem Descendentes in feudum in infinitum *tit. 1. §. 4. libr. 1. Feud.* obfervatà tamen graduum prærogativà, *tit. 8. pr. 2. Feud.* Adeò ut licet feudum quis acquiferit pro fe & filiis fuis: Nihilo tamen minus ad nepotes cæterosq; Descendentes pertineat: Tum, quod & aliàs filiorum appellatione nepotes cæterique descendentes fignificantur, *l. 220. ff. de V. S.* Tum etiam, quia in materià feudali filiorum nomine omnes ex primo feudum acquirentes Descendentes designantur, *arg. tit. 13. verf. Et fi clientulus. 1. Feud.*

XXXIII. Interim tamen gradus prærogativa perpetuò fpectatur, *tit. 8. libr. 2. Feud.* Sic ut gradus proximior remotiorem excludat, præterquam fi hic iure repræfentationis fuccedat, *tit. 8. pr. F. 2.* Omnes tamen ejuſdem gradus fimul fuccedunt & quidem æqualiter, *d. tit. 8.* nec ratio ulla primogenituræ habetur: niſi confuetudine, ftatuto vel pacto investituræ contrarium fuerit cautum, *Schrad. part. 7. c. 5. n. 15.*

B

Hoc



XXXIV. Hoc verò casu, quo *Primogenitus* exteris præfer-
tur, si contingat vasallum duos relinquere filios, quorum unus
ante feudum acquisitum à Patre: Alter verò postea sit natus; quæ-
ritur, uter ex illis alteri præferri debeat? Et verius est illum, qui
ante feudum acquisitum natus fuit, postea nato anteferri: Sicut
etiam nato ex primogenito nepos, filio Secundo nato in successio-
ne avi præfertur. Vide *Hottoman. ill. q. 2. 3. & 4.*

XXXV. Nihil porro interest, descendentes in potestate
defuncti extiterint; an verò ab eo *emancipati* potestate illius exie-
rint: Tum quod filij ac descendentes in genere ad feudi successi-
onem vocentur *tit. 1. & 8. lib. 1. F. 1. 11. lib. 2. F.* nec emancipati in ju-
re usquam excepti reperiantur; tum etiam quod jure novissimo
civilis emancipati pariter cum suis succedant *Nov. 118. c. 1.*

XXXVI. Nec refert quicquam, liberi in testamento Pa-
tris instituti sint; an *exheredati*: & exheredati sint justè, an injustè:
Quoniam cum ordinatio & dispositio defuncti in feudo nil valeat
t. 8. lib. 1. Feud. Nec dispositione generali feudum comprehensum
intelligatur, uti dictum est supra *thesi 5.* consequens est, exhere-
dationem Patris tanquam dispositionem testamentariam ad feu-
dum non porrigi.

XXXVII. Atq; hoc quidem de injusta & iniqua Exhere-
datione facile largiuntur omnes: Hac enim cum filium ne qui-
dem ab allodialibus bonis, de quibus patri testari licet, excludat
Nov. 115. c. 3. multò minus à successione feudi eundem removebit
d. tit. 8. 1. Feud.

XXXVIII. Solùm de *exheredatione justè* inter juris Feuda-
lis Interpp. disceptatio est, anne per illam à feudo quoq; filius ex-
cludatur? Et quanquam pro affirmativa non desint speciosa ar-
gumenta, quibus defendatur; negativam tamen, ut pote firmiori-
bus argumentis munitam, amplecti nil dubitamus.

XXXIX. Si enim filius à Patre à feudo exheredari
nequit *tit. 8. libr. 1. Feud.* non etiam exheredatio trahetur ad bo-
na feudalia: maxime cum illis solùm bonis quis per exheredatio-
nem privari possit, quæ jure hereditario deferuntur: quia exhere-
datio

datio nihil aliud est, quàm hereditatis privatio, seu ab hereditate exclusio: Feudum autem filio non debetur jure hereditario *arg. tit. 17. lib. 2. Feud.* Quia propter etiam filius quantumvis justè exheredatus in feudum nihilominus succedet.

XL. Quod non solùm de feudo *antiquo* sed de novo etiam exaudiri volumus: tum quod textus feudalis ordinationem defuncti in feudo reprobans sit generalis, & non minus ad feudum novum, quam ad antiquum spectet. *tit. 8. pr. lib. 1. Feud.* Tum etiam quod feudum novum per primam investituram acquisitum sit non modò patri sed & filiis ipsius *tit. 14. 1. Feud. tit. 23. lib. 2. Feud.* Et ideo Exhereditatio patris non possit feudum filiis acquisitum auferre *l. si pater 9. ff. de liber. caus.*

XLI. Planè de feudo merè hereditario, sicut filius expressè exheredari potest; ita quoq; ab eo feudo exclusus censetur, cum a Patre est exheredatus: idq; dubium vix habet ullum.

XLII. Nihil præterea intèrest, filius *adierit* hereditatem; an verò ea se *abstinuerit*: ita ut & abstinens feudum nihilominus retineat: Idq; manifesta ratione juris: Filius enim repudiandò hereditatem id amittit solùm, quod hereditate continetur, quodq; hereditario jure defertur: At feudum, excepto hereditario, non defertur jure hereditario, nec hereditate continetur, sed ab eà diversissimum est, quod per se manifestum, & probat *d. tit. 17.*

XLIII. Excipiendum tamen hic est feudum *hereditarium*: Siquidem hoc jure hereditario defertur, & pars est hereditatis paternæ, unde repudiata hereditate ipsum quoq; repudiari consequens videtur: Quo etiam spectare videntur textus juris feudalis *in tit. 45. & 51. lib. 2. Feud.*

XLIV. Postremò succedunt in feudum non solùm filii vivo adhuc Vasallo ultimò defuncto, jam nati, sed & *posthumi*. Quin etiam concepti post mortem primi feudum acquirentis *arg. t. 1. §. 4. lib. 1. Feud. & tit. 23. in fin. in verb. in perpetuum pertinent, 2. Feud. & tit. 23. in fin. verbis in perpetuum pertineat lib. 2. Feud.*

XLV. Atq; hi sunt ex descendantibus, qui ad successionē feudi

admittuntur. Repelluntur à successione feudi 1. Filii vasalli defuncti *adoptivi* & ex *adoptivis* descendentes: Id quod claris & perspicuis verbis testatur Feudista: *Adoptivus*, inquit, filius in feudum non succedit, *tit. 26. §. Adoptivus. 2. Feud.*

XLVI. Cujus ratio non una dari potest. Primò enim vasallo feu si possessori integrum esset agnatis, ad quos deficientibus liberis sive descendens feudum perventurum esset, præjudicare, & jus ipsis in feudo quælitum auferre, aut saltem imminuere. Deinde & Seniori, ad quem successore deficiente, feudum revertitur, posset à Vasallo per adoptionem præjudicari. Quorum tamen utrumque & juri & rationi naturali adversatur, *l. 11. de R. Jur.*

XLVII. Accedit insuper quod feuda dari atque deferri soleant sanguini, sive illis, qui ex sanguine primi acquirentis descendunt, *tit. 13. §. Et deficientibus. lib. 1. Feud.* Adoptio autem jus sanguinis non adfert, *l. qui in adoptionem. ff. de adopt.*

XLVIII. Postremò non præsumantur Dominus feudum constituens & primus acquirens sensisse aut cogitasse de filiis *adoptivis*; Sed censeantur potius ad personam accipientis feudum ejusdemque posterorum respexisse, *tit. 23. in fine lib. 2. Feud.*

XLIX. Neque hic distinguendum putamus inter *adoptatos* post feudum à patre acquisitum; & *adoptatos* ante acquisitum feudum, prout distinguit *Sonsbecius*: cum textus feudaliter loquatur, & absque omni distinctione filium *adoptivum* à successione feudi removeat, *d. tit. 26. §. adoptivus.* Et rationes quoque prædictæ, quibus *adoptivos* à feudo excludi diximus, in utroque, tamen eo, qui ante, quàm qui post feudum acquisitum est natus, peræquè obtineant.

L. Quia nec cum *Baldo* distinguimus inter *adoptatum*, & principis autoritate arrogatum; quasi hic succedat; ille verò non item. Siquidem imperium & autoritas principis in domini & agnatorum cederet præjudicium, cum tamen princeps nec velit nec possit suum privato absque culpa ejus auferre, & alteri dare, *l. 2. l. 7. C. de prec. Imp. offer. & dictum est S. in thes. 6.*

LI. Quod si in prima investitura expressè fuerit dictum, *adopti-*

opti-

optivos non minus, quàm justis ex nuptiis procreatos admitti de-
bere: Aut verò omnes illi, quorum in præjudicium adoptati suc-
cessio vergere potest, consenserint, dubium planè nullum est, quin
adoptati succedant, *arg. l. pen. C. de pact.*

LII. Excluduntur 2. à feudi successione liberi NATU-
RALES, hoc est, extra legitimum matrimonium procreati, *tit. 26.*
§. Naturales. lib. 2. Feud. idque ideò, quod Domino simul & paribus
Curia parum sit futurum honorificum, in suo consortio habere
homines natalibus maculatos.

LIII. Et quamvis postea fuerint legitimati, non tamen ad-
mittuntur, nec soli, nec cum legitimis, *d. §. Naturales.* Quod in
genere & absque omni distinctione atque exceptione dictum ad
universas & singulas species legitimatorum transferendum puta-
mus: Quapropter nec legitimatos per subsequens matrimonium,
utut alias jure communi ad bonorum allodialium successionem
admittantur & legitimorum jure gaudeant, in feudis succedere
putamus *d. §. naturales.*

LIV. Multò verò minus per rescriptum Principis, aut à
Comite Palatino legitimatos ad feudi successionem admittendos
existimamus; etiamsi nominatim & expressè ad hoc fuerint legi-
timati, ut succederent: Non solum quod generalitas *d. §. Natu-
rales*, obstat; sed etiam quod Princeps jus suum alteri non auferat
§. fin. l. de his qui sui vel alieni jur. sunt. Id quod sanè in proposito ac-
cideret, si legitimati isti vel unà cum legitimis, qui soli succede-
re debebant, admitterentur; vel deficientibus legitimis descen-
dentibus excluderent agnatos. Ut taceam nunc, quod rescripta
Principum adversus leges & constitutiones elicitam vim nullam ob-
tineant *l. 3. C. de prec. Imp. offer.*

LV. Et quanquam nonnulli distinguant inter legitimatos
vivo adhuc patre vasallo, ante successionem feudi delatam: & le-
gitimos Vasallo jam defuncto & post delatam successionem:
Ut hi quidem excludantur: illi verò vel soli vel cum legitimis suc-
cedant: Tamen distinctionem istam non modò refellit generali-
tas, *d. §. Naturales.* Sed etiam refragantur eidem rationes omnes
B 3 suprà

Supra adductæ, quæ in utroq; distinctionis membro pariter militare videntur.

LVI. Quid verò, si tam filii legitimi, quam agnati, adeoq; omnes feudi successores deficient, an tunc legitimi per rescriptum principis admittentur? Affirmativam quidem multi tuentur, eò quod hoc casu eiusmodi successione legitimorum nemini cuiquam præjudicetur. Verumtamen ab illis rectè divortium faciunt alii: quorum opinionem & nos amplecti non dubitamus *arg. d. §. Naturales.*

LVII. Deniq; à successione feudi removentur Descendentes fæminini sexus, *tit. 1. §. 3. tit. 8. §. filia tit. 24. lib. 1. Feud. tit. 36. & tit. 50. lib. 2. Clerici tit. 21. 30. & 36. lib. 2. Imperfecti tit. 6. lib. 1. Feud. & tit. 36. lib. 2.* & qui qualibet aliâ ratione feudum habere impediuntur. De quibus (quia impedimenta hæc Descendentibus & Collateralibus, omnibusq; feudi successoribus sunt communia) infra loco commodiori dicemus. Nunc videamus.

DE SVCCESIONE Collateralium.

LVIII. Deficientibus descendentibus seu liberis defuncti Vasalli succedunt COLLATERALES, *tit. 11. lib. 2. Feud.* Collaterales, inquam, illi, qui ab eo, qui primò feudum acquisit, descendunt, Vasalloq; ultimò defuncto ex transverso conjunguntur *tit. 1. §. 3. lib. 1. Feud. tit. 11. §. his verò deficientibus & tit. 50. v. si enim lib. 2. Feud.* Non etiam qui eum, qui primò feudum acquisit, linea transversali attingunt *d. tit. 11. tit. 50. lib. 2. & tit. 1. lib. 1. Feud.* Adeoq; in proposito nostro proximitas refertur ad Vasallum proximè defunctum, non ad primum acquirentem.

LIX. Cuius ratio hæc esse videtur, quod feudum cum primò
consti.

constituitur, concedatur Vasallo eiusq; heredibus masculis *tit. 22. n. fin. 2. Feud.* Sive descendentes *tit. 13. vers. etsi clientulus 1. Feud.* Illi verò qui à latere conjunguntur primo acquirenti, non sunt heredes ipsius feudales *d. tit. 13.* Nec etiam liberorum seu descendens nomine veniunt: Sicut illi qui Vasallum proximè defunctum agnatione à latere contingunt, primi acquirentis liberi & descendentes sunt.

LX. Atque hæc etiam ratio est, cur agnati in feudum antiquum seu paternum succedant; in novum verò non item, nisi feudum novum concessum fuerit, jure feudi antiqui: Quandoquidem huiusmodi feudum universas feudi antiqui qualitates ac proprietates adsumit: omnesq; eius effectus sortitur.

LXI. Hinc nec frater fratri in feudum novum, quod scilicet frater primò acquisivit, succedit *d. tit. 11.* Etiam si propria pecunia communi nomine, Domino feudi sciente, feudum comparavit *tit. 12. lib. 2. Feud.* Quinimò licet communi pecunia comparatum sit feudum, nisi etiam utriusq; nomine, Dominoq; feudi sciente fuerit emptum, fratresq; illi simul habitent, fratrem non succedere fratri certum est *tit. 20. lib. 1. Feud.*

LXII. Idemq; dicendum est, si feudum communibus duorum fratrum equis & armis sit acquisitum, præterquam si Domino sciente hoc fuerit factum *d. tit. 20.*

LXIII. Quod si tamen pacto investituræ nominatim convenerit, ut & frater ad fraterni feudi novi successio- nem admittatur, dubium non est, quin frater defuncto fratri ex pacto succedat. *tit. 1. §. cum verò tit. 8. §. ult. tit. 20. lib. 1. Feud. tit. 12. & 18. lib. 2.* Quid verò, si hoc casu fratrem illum prius decedere contingat: an tunc filius aut nepos eius ex pacto isto fratri acquirenti succedet? Negantium opinio videtur verior.

LXIV. Remotis itaq; collateralibus primi acquirentis soli
Collate-

collaterales sive agnati vasalli proximè defuncti succedunt; non solum ad gradum usque quartum vel septimum, sed in infinitum, tit. 50. pr. tit. 52 §. satis bene. lib. 2. Feud.

LXV. Graduum autem Computationem in successione feudali non juxta Pontificium, sed secundum Cæsareum jus instituendam esse communior est & verior opinio, eamque eleganter probat novissimè Henr. Boer. in tr. de success. feud. c. 5. quest. 19.

LXVI. Quanquam autem in successione feudali, sicut in civili, graduum servetur prærogativa: ita ut qui gradu proximiores sunt vasallo defuncto, remotioribus præferantur: *ius tamen representationis* in hac feudali æquè atque in allodiali obtinet. Vnde in feudum antiquum non solum hereditarium; sed etiam ex pacto & providentia fratri defuncto non soli fratres, sed etiam unà cum illis fratris præmorrui filii succedunt ex persona sui Patris: id quod consuetudine totius Germaniæ & textu juris feudalis apertissimo confirmatur in tit. 11. §. *Hic verò*. lib. 2. Feud.

LXVII. Etsi hoc casu non in capita, sed stirpes fiat successio: Cum enim fratris prædefuncti liberi in sui patris locum succedant, ipsiusque personam repræsentent, conveniens est, ut tantundem illi consequantur, quantum ipsorum pater habiturus fuisset, §. *cum filius*. 6. Instit. de hered. quæ ab intest. deser. Aliter atque cum patruelles soli patruo suo succedunt: Nam tunc in capita fieri successionem verius est, Nov. 118. cap. 3.

LXVIII. Cæterum an fratris prædefuncti liberi unà cum patruo suo jure repræsentationis succedant in feudum ab alio quam patruo relictum? Quæstio est intricatissima & Excellentissimorum Interpp. disceptatione nobilitata. Nos salvo aliorum judicio Negativam tuendam suscipiemus: quam etiam non parum confirmari putamus. Nov. 118. cap. 3.

De successione Foeminarum.

Regu

LXIX. Regulariter à successione feudi excludi *feminas* dictum est supra; idque innumeris in locis juris nostri feudalis repetitur, ut in *tit. 1. §. 3. tit. 8. femina tit. 24. lib. 1. tit. 11. tit. 23. in fine tit. 36. & tit. 50. cum similib. 2. Feud.*

LXX. Hujus verò rationes hæ sunt, 1. quod mulier ad servitia militaria, ob quæ ut plurimum dari solent feuda, plane sit inepta. 2. Quod item mulier, ut quæ pudore sexûs virorum cætui se immiscere prohibeatur, Dominum comitari nequeat. 3. Quod ob fragilitatem sexûs bonum Consilium Domino præbere non possit. 4. Quod ob linguæ lubricitatem secreta Domini vix ac ne vix quidem occultare valeat. Quæ rationes omnes conjunctim sumptæ *fæminam* à feudi successione removeri efficiunt.

LXXI. Hinc *fæmina* quantumvis *armis adsueta* & in bello exercitata ad feudum non admittetur, Quoniam etsi ad servitia feudalia præstanda sit apta; reliquæ tamen rationes non minus principales, eam succedere impediunt; ut taceamus, quod talis virago rarissimè reperiat, & ideo sub generali legis dispositione adhuc comprehendi intelligatur *l. si maior 12. C. de legit. hered.*

LXXII. Sicut porrò *fæminæ* à successione feudi removen-
tur; ita quoque *progenies illarum* excluditur *tit. 11. lib. 2. Feud.* Quan-
quam enim in his deficiant rationes, quæ obtinent in *fæminis*;
Quia tamen successiones non fiunt per saltum; sed secundum or-
dinem juris: ita ut si præcedens gradus successionis capax non sit,
nec subsequens admittatur *arg. §. placebat Inst. de legit. agnat. success.*
Idcirco juri omnino est consentaneum, ut *fæminis* remotis ipsa-
rum quoque soboles removeatur,

LXXIII. Atque hoc etiam in feudo proprio facilè admit-
tunt FF. Interpp. In pactionato autem seu improprio feudo aliter
se se rem habere opinantur.

LXXIV. Vnde etiam in feudo EMPTITIO seu pecu-
nia comparato *fæminas*, & ex illis descendentes succedere putant:
eâ insuper ratione moti, quod tale feudum in locum pecuniæ, quâ
comparatum est, succedat, & allodialibus bonis annumeretur.

LXXV. Idemq; de feudo FRANCO seu à servitiis li-
bero.

C

bero, quod & ipsum improprium est adferendum arbitratur.
Maxime, quod ratio potissima, quæ aliàs feminas excludit, ser-
vitorum, inquam, feudaliū præstatio huiusmodi in feudo de-
ficiat.

LXXVI. Similiter ab exiguæ quantitatis feudo feminas
illarumq; progeniem non excludendas aiunt.

LXXVII. Verumtamen nullum horum omnino à regu-
la generali de non admittendis ad feudum feminis, excipiendum
existimamus: Tametsi enim talia feuda in uno aliquo à propriâ feu-
di natura degenerent: quoad hoc tamen naturam feudi proprii re-
tinent. Nec si una aliqua ex supra adductis rationibus prædictis
in feudis deficit, dispositio propterea juris protenus deficiet: Cum
generale sit, ut quotiens dispositionis alicuius plures & æquæ prin-
cipales sunt rationes, totiens deficiente unâ dispositio nihilomi-
nus subsistat.

LXXVIII. Quapropter hisce exceptionibus rejectis supe-
riorem regulam generalem esse statuimus: Nulloq; casu ad feudi
successionem feminas aut illarum progeniem admitti censemus,
præterquam si feudum femineum, hoc est primitus à femina ac-
quisitum sit, aut hoc pacto datum fuerit, ut ad feminas quoque
transierit. *tit. 1. §. 3. lib. 1. tit. 11. tit. 23. & tit. 50. lib. 2. F.* Extra duos
hosce casus regulæ standum, & feminas omninò removendas
adferimus *arg. l. quæsitū 12. §. idem respondit ff. de instruct. & instrum. legat.*

LXXIX. In femineum autem feudum succedunt feminæ et-
iam sine speciali pacto: Tum quod feudum femineum constan-
ter in iure feudali opponatur ei feudo, in quod ex pacto succeditur:
tit. 1. §. 3. 1. 8. §. filia lib. 1. Feud. tit. 11. tit. 50. lib. 2. F. Tum etiam quod cla-
ris & perspicuis verbis id exprimat Feudista in *tit. 30. 2. Feud. ubi ait:*
Si femina habēs feudum decesserit, quia femineum est feudum, &
sine pacto speciali deficientibus filiis masculis ad filias pertinebit.

LXXX. Pacto juri feudali, quod feminas excludit, dero-
gari posse dubium non est, eò quod pacta privatorum negotio, cui
apponuntur, formam dare soleant *l. 7. §. 5. ff. de pact. modò substanti-*
alibus negotii non adversentur l. 72. ff. de contr. empt.

Quid

LXXXI. Quid autem si pacto una aliqua pluribus ex filiabus ad feudum vocetur: Anne tunc omnes admittentur; an verò una dumtaxat illarum; & si una, quænam? Quæstionis est non perinde expeditæ. Sed res per distinctionem expedienda videtur: ut si quidem una ex filiabus nominatim fuerit vocata; tum illa sola admittatur, ac præter illam nulla alia: siquidem pactum est stricti juris, & ultra terminos, intra quos loquitur, non extendendum: Nec cum uno aliquo initum ad aliam personam porrigendum *l. 25. §. 1. l. 27. §. pacta ff. de pact.*

LXXXII. Quod si verò ex pluribus filiabus una indeterminatè vocata fuerit: tum non omnes simul & pariter: nec illarum primogenita; sed ea dumtaxat, quam Dominus feudi elegerit, sibiq; fidelem esse voluerit succedet, *arg. tit. 12. in fin. lib. 2. Feud. & l. si quis servum §. 3. ff. de legat. 2.*

LXXXIII. Illud minus dubii habere videtur, quod filiabus pacto ad successionem vocatis, intelligantur & neptes vocatæ: cum appellatione filiorum omnes liberi veniant, dicente Iuliano *in l. 201. de V. S. filiarumq; nomine & neptes comprehendantur, autore Paulo in l. 84. eod.*

LXXXIV. Et si porrò prædictis duobus casibus fæminæ in Feudum succedant: Non tamen aliter id procedit, quam si omnes ex primo acquirente Descendentes masculi defecerint *tit. 6. tit. 8. §. filia lib. 1. Feud. tit. 11. tit. 17. tit. 24. lib. 2. Feud.*

LXXXV. Quod ipsum & tunc obtinere ait Feudista, cum feudum pro filiis & filiabus datum est *d. tit. 6. §. 1. & d. tit. 8. §. filia.* Quandoquidem particula ET hoc loco non copulat, sed ordinem solùm quendam successionis designat.

LXXXVI. Idemne verò dicendum sit, cum feudum hoc tenore & pacto datum est, ut fæminæ cum masculis succederent: valde est controversum: Sunt enim præstantissimi FF. qui hoc casu fæminam simul cum masculo succedere statuunt: Et sunt è contra, qui fæminam per masculum excludi adserunt: Quorum in sententiam & nos haud inviti concedimus *arg. d. tit. 6. §. 1. & tit. 8. §. filia lib. 1. Feud. junct. l. 36. §. 2. ff. de legat. 1. l. 40. ff. de Vsu & Vsufr. legat.*

LXXXVII. Quod ipsum quoq; tunc concludendum putamus, cum feudum alicui, & eius heredibus quibuscunq; est datum: Quia heredis appellatione masculos solum jure feudali significari indubium est *tit. 11. §. etsi clientulus lib. 1. Feud. tit. 18. tit. 24. §. similiter 2. Feud.*

LXXXVIII. Ex eademq; ratione si feudum primo acquirenti ejusq; heredibus masculis simul & feminis concessum fuerit, feminas per masculos excludi, nec simul cum ipsis succedere statuimus *tit. 17. lib. 2. Feud.*

LXXXIX. Atque haecenus dicta minus dubii habere videntur de masculis ex linea masculina descendantibus. Magis vero dubium est, ane & illi masculi, qui ex feminina linea descendunt, feminas excludant? Circa quam quaestionem & olim maximi nominis Feudistas Gerhardum Nigrum & Obertam de Orto dissensisse testis est *tit. 51. §. similiter 2. Feud.* illo quidem Affirmativam: hoc vero Negativam propugnante, Gerhardi tamen Nigri opinio prevaluit, uti perspicue probat *tit. 17. lib. 2. Feud.*

XC. Caeterum feminam per masculum, uti dictum est, exclusam, ane masculo postmodum e vivis decedente, femina in feudum succedat; an vero semel exclusa in perpetuum maneat exclusa? Quaestionis est difficilimae & ab Interpp, FF. utramque in partem probabilibus argumentis disputatae: Nos tamen feminam semper exclusam manere statuimus moti textu aperto *tit. 6. §. Quin etiam 1. Feud.*

XCI. Idem statuimus, si masculus, qui feminam excluserat, mox & ipse e vivis decesserit: Non solum ob generalitatem *d. tit. 6 lib. 1. Feud.* Sed etiam quod masculo successore existente, adeoq; feminam a feudo exclusam, statim agnatis proximis, si feudum paternum est: aut Domino feudi, si novum, jus illud feudum obtinendi sit quaesitum *tit. 39. lib. 2. Feud.* Quod ipsis invitis auferri non potest *l. 11. de R. I.*

XCII. Econtra vero si femina semel fuerit admissa nondum existente masculo, & is postea nascatur, illam non repelli, nec cogi masculo cedere verius est: cum feminae jus realiter jam
tum

eum fuerit acquisitum, quod sine causa ipsi auferri non potest *d. l. n.*

XCIII. De *Hermaphrodito* ecquid hoc loco dicendum sit ?
quaritur. Et quidem Henricus Bocerus illum ut imperfectum
à feudi successione simpliciter & indistincte removeret. Alii autem
distinguunt ; ut si masculinus sexus in eo prævaleat, succedat in
feudum ; si vero fæmininus, à successione repellatur. Quæ di-
stinctio communiter recepta & nobis arridet : quanquam & alte-
ra illa ratione haud improbabili nitatur,

XCIV. Etsi verò ita, ut hætenus prolixè est dictum, fæmi-
næ à feudo regulariter excludantur : In pecuniam tamen ex feudo
redactam ; in meliorationes item feudales à Vasallo factas ; in que
fructus feudales ex feudo jam perceptos, aut post mortem Vasalli
juxta dispositionem juris feudalis adhuc percipiendos, fæminæ u-
nà cum masculis succedunt : cum illa omnia allodialibus bonis an-
numeranda veniant in quæ bona sine discrimine sexus hodie ex ju-
re Communi succeditur *Nov. 118. c. 1.*

XC V. *Alimenta* quoque & *dos*, si aliunde constitui nequeunt,
ex feudo filix subministrari atque constitui debent : sic enim & sur-
dus & mutus, qui ut fæmina à feudi successione removentur *tit.*
36. lib. 2. Feud. ex feudo alimentari debent, si aliunde se exhibere
nequeant *tit. 6. lib. 1. Feud.*

XC VI, Aliud tamen de *legitima* pleriq; Interpp. conclu-
dunt, eamque ex feudo, nisi hereditarium sit, filix præstandam es-
se negant : Quam opinionem & nos haud inviti sequemur, si de
ipso corpore feudi, ex quo filix dos constitui nequaquam debet,
intelligatur : Secus verò, si de fructibus feudi, aut de pecunia ex
feudo ejusque fructibus redacta : Hæc quippe, ut proximè dice-
batur, bonis allodialibus accensentur, ex quibus filix legitima in-
dubitata præstari debet.

XC VII. Idemque de feudo *Emptio* adserere non dubita-
mus: Siquidè nec in hoc succedere fæminas sup. in *thesi* 77. statuimus.

DE SVCCESIONE

Clericorum.

C 3

Sequitur



XCIIIX. Sequitur de Clericis, qui & ipsi non minus quam
fæminæ à feudi successione repelluntur *tit. 21. 30. & 36. lib. 2. Feud.* Cu-
jus ratio haud quaquam obscura est: Quod nempe cum servitia feu-
dalia ut plurimum sint secularia ac militaria: Clericus autem utpo-
te miles Christi, non possit esse miles seculi *d. tit. 21.* nec debeat se
implicare negociis secularibus *can. placuit caus. 21. q. 3.* Idcirco Domi-
nus feudi citra culpam suam servitiis feudalibus privaretur: Quod
fieri esset iniquum: cum beneficium non debeat pertinere ad eum,
qui non potest gerere officium *tit. 21. lib. 2. feud.*

XCIX. Quid verò si Clericus per *substitutum* idoneum Do-
minoq; feudi acceptabilem servire paratus sit? Adhuc repellen-
dum existimamus: tum quod præcitis in textibus simpliciter &
indistinctè succedere Clericus prohibeatur: Tum quod eam ob
causam à successione removeatur, quia ipse servire non potest *tit.*
36. lib. 2. F. tum etiam quod expressè dicatur Clericum nullo modo
in beneficium paternum succedere debere *tit. 30. eod. lib. 2.* Tum de-
niq; quod nec aliis per substitutū servire volentib; id permittatur.

C. Neq; hic excipiendos putamus *prælatos*, veluti Cardina-
les, Archiepiscopos & Episcopos: Non solum quia textus feudales
absq; illorum exceptione generaliter loquantur *d. tit. 21. 30. & 36. lib.*
2. Feud. Sed etiam quia ratio eadem in prælatis æquè atq; in cæteris
Clericis obtineat *d. tit. 21.*

CI. Quod idem quoq; de *Equitibus* & militibus sacris putà
Hierosolymitanis, Rodiensibus, Melitensibus, Teutonicis ac simi-
lium ordinum adserendum videtur *arg. d. tit. 21. lib. 2. Feud.*

CII. Quod si tamen Clericus ante delatam feudi successi-
onem habitum religionis rursus deposuerit, & factus fuerit laicus,
vel feudum sit Francum, itemq; ad certa eaq; talia servitia, quæ æ-
què honestè à Clerico atq; à laico præstari possint, constitutum, du-
bium non est, quin succedat, siquidem hic cessat ratio, quæ prius à
feudo ipsum removebat.

CIII. Et hæc quidem ita *de jure communi* circa Clericorum
successionem obtinent; *Interim tamen dubitandum non est,*
quin, si loci alicuius consuetudine vocentur Clerici, excludi non
debeant

debeant arg. tit. 1. lib. 2. Feud. Et sanè de consuetudine totius penè Germaniæ Clericos ad secularia feuda non minus atq; laicos admitti testantur nobilissimi FF. Interpp. Quamvis in Monachis diversum receptum esse, illosq; nec ex consuetudine in feuda succedere iidem testentur. Et hæc de Clericorum successione restat ut nonnihil addamus.

DE SVCCESIONE Imperfectorum.

CIV. Imperfecti hoc loco dicuntur, qui vel animi vel corporis aliquo defectu laborant. Prioris generis sunt Furiosi & mente capti: posterioris verò sunt, Muti, Surdi, Cæci, Claudii, manu vel alio quopiam membro mutilati & alii similes, qui ob defectum ejusmodi ad servitia feudalia præstanda inepti sunt effecti: Tales feudum paternum non retinere scribit Feudista in tit. 6. lib. 1. Feud. & tit. 36. lib. 2. Idq; propterea, quòd feudum servire nequeunt.

CV. Et quamvis circa corpore Imperfectos nonnulli distinguant, utrum tales nati sint; an verò ex accidenti quodam facti; ut hi quidem succedant, illi verò à successione repellantur. Quia tamen textus feudalis in d. tit. 6. nihil quicquam distinguit: Et ratio etiam ob quam Imperfecti non succedunt in his æquè atq; in illis obtinet; Idcirco & nos absq; ullà distinctione Corpore Imperfectos à feudis excludi censemus.

CVI. Quod ipsum etiam tunc verum esse putamus, quando Dominus feudi prædictos Imperfectos, ad feudi paterni successionem suâ sponte admittere vult: Quandoquidem hic non de Domini solius, sed etiam de agnatorum agitur præjudicio, quibus Dominus feudi nullatenus præjudicare potest, uti sæpissimè dictum est.

F I N I S.



Ad Bernh. Reineccium

Respond.

Spiritus alta minans tumidos dum vexat on-
gros,
Mystace grande habitat pallioloꝝ Sopbos.
Quis crepitacula fori, quis tintinnabula nescit,
Dantiqꝫ amentem tympana bruta sonum?
Cymbala iurgantium, & miserorum sistra clientum;
Et quibus anguillas stagna quieta negant!
Horum barbaries ut personata subintrat!
Quam rudis, at spumans, Caussidicina tegit.
Purius in scatebras Iuris mersate RENECCI,
Castaliaqꝫ idem limpide potoꝝ aqua,
Iura vasallorum contortuplicata retexis;
Dasqꝫ Ariadneâ, fila sequenda, manu.
Huius ad exemplum Themidos grassantor Eopta:
Iuris in optatos sic penetranto sinus

Ioh. Rodenburg Antuerp.

Profes. P.



AB: 152995


ULB Halle 3
003 358 925



R

VD 17







DE
SUCCESSIO-
NE FEUDALI
Disputatio,

Quam

D. O. M. A.

In Celeberrima Academia Wittebergense

SUB PRÆSIDIO

edammodo Viri Clarissimi & Consultissimi

HELFRICI-ULRICI HUNNII J. U. DOCTO-
ris, & designati in inclyta Academia Gief-
sensi Professoris publ. & Ordinar.

Exercitii publici gratiã ventilandam
proponit

BERNHARDUS REINECCIUS
SCHERMBECCENSIS.

In Auditorio ICtorum A. D. XI. Februar. horis matutinis.



WITTEBERGÆ,

Ex Officina Typographica Wolfgangi Meisneri.

ANNOM. DC. XIV.

26

25

